

ac latinâ poeti in commendationem Herois sui expressit.

Littera fausis laureata laurusque litterarum festiva, seu, Descriptio solennissimæ pompæ, Concertationisque poetica ab Academia Mexicanâ instituta, præstiti ergo Juramenti recens ad Hispaniarum Thronum evecto Ludovico I. Mexici, ex Chalchographia Josephi de Hogal 1724 in quarto. Liber est amoenissimâ ob oculos exhibens narratione Academica gesta pro dilectissimi Regis inauguratione colendâ, numerosque pulcherrimos ab selectioribus profectos Mexicis ingenijs, Ludovicum plaudentibus Philippo susceptum, ecu Herculem Atlanti: Hoc enim illis argumentum propositum fuerat ad Concertationem, cui Noster à Secretis fuit destinatus. Placet porro Epigramma hic exscribere, quod Libro præfixit Christophorum laudans D. Josephus de Villeras, Mexicanus, vir eruditione juxta & ingenio in paucis habendus.

EPIGRAMMA.

*Cui dedit Alcide Pater Atlas
omnia, Christum
Christophorus fertur sustinuisse
volans.
Alciden, magnus dat Atlas cui
sceptra Philippus:
Alter Christophorus nunc quoque
portat ovans.
Herculeum gestans graviorem robur
Olympum,*

Hic levat ingenio, viribus ille tulit.

*Nempe, ut cum similis labor ambos
urget, uterque*

*Christophorus felix Herculis adstet
Atlas.*

Ecclesie anima in sacramento charitatis S. Joannes de Deo, seu ejusdem S. Parentis concio. Mexici, mox dictis litteris 1725, in quarto. Extat in Collect. nostris tom. 3.

Zacheus Hospitalarius, seu Pægyrica concio habita in Dedicacione Mexici Templi sub titulo S. Joannis de Deo à fundamentis instaurati. Mexici in eadem Officina 1729, in quarto.

Ignis gloriosissimi S. Joannis à Cruce inter Sanctos relati, è vivifico Sacramenti altaris igne mutatus. Sermo apud nudipedes Carmelitas Mexici habitus sexta die solennissimi festi Canonizationis ejusdem Divi. Extat unâ cum multis id argumenti Opusculis in *Secunda quintadecima Januarij Mexicana* pag. 435. Mexici, typis Josephi Bernardi de Hogal 1730 in quarto.

Phenix flammas inter Zacatecanorum exustus, denuoque redivivus. Sermo in ea Urbe habitus, novæ Crucifixi Imaginis causâ dedicationis, in combusta locum succedat. Mexici, litteris D. Mariæ de Ribera 1736, in quarto. Habetur tom. 14. Collect. nostræ.

Oratio funebris dicta in Exequijs R. P. F. Josephi Montes, Com-

missarij Generalis in Novâ Hispaniâ Ordinis S. Joannis de Deo. Mexici, eisdem typis & anno, in quarto. Extat in Collect. nostris tom. 33.

733 D. CHRISTOPHORUS SANCHEZ DE GUEVARA, Natione Mexicanus & Patria, in utroque statu prophano scilicet & Ecclesiastico insignis fuit. Matrimonio junctus, Caufidicum egit celeberrimum, atque insula Doctoris in Jure Civili conspicuus, nec minus in Canonicis sanctionibus clarus, plures Academia Mexicanensis Cathedras rexit. Institutionum Imperialium primùm suggestui præfuit: mox Vespertino pro Romanorum jure explicando incubuit: Dein Vespertinum pariter pro Sexto Decretalium Libro tradendo sumpsit: tandem Decreti Cathedralam moderatus est, quo usque adimpleto vicennio Emeriti requie & honore potitus est. Tum verò Rector Academiæ datus, eo etiam strenue defunctus est munere. Morre conjugis, prophanis se abdicans, initiatusque Sacerdotio, ad Metropolitanæ Ecclesiæ Canonicatum evectus, & postmodum Mesochorus creatus, 7 Novembris anno 1644 casu sanguine exhaustus obiit. Non dum eo tempore usus tenuerat Academicus Mexicanus, Antecessorum Elucubrations in Tabularium & Libros redigere, qua propter scripta Nostri, quæ dubio procul multa fuerit & perdocta, signatius indi-

care prohibemur, contenti Opusculum innuere, quod editum vidimus, tacito tamen nomine typographi pro ætatis consuetudine. Est autem illud hispano sermone *Testimonium in jure de Comitibus Provincialibus à Religiosis Augustinianis Regni Michoacanensium habitis.* In folio anno 1632. Extat tom. 3. Collect. Mendoziana.

Authoris meminit Plaza in Chronicis Academicis Lib. 4. cap. 17. in 147.

734 M. F. CHRISTOPHORUS DE SOTOLONGO, Natione Mexicanus, Patria Habanensis, Professore Dominicanus, abjectâ prædivitis opulentia Domus paterna, nihilque nobilissimâ moratus stirpe, seculo se abdicavit, in Conventum S. Joannis Lateranensis Urbis Habanensis Primarium Sacri Præd. Ord. anno 1672 die decima Novembris receptus. Scholæ Palestam, tradendo, quas ibidem acceperat, Philosophiam atque Theologiam, ubi dimensus fuerat, Magisterij bravium accepit, nec propterea otio indulgit & quieti, imò solennius se sacris Biblijs studendis PP. atque Interpretum Voluminibus consultantis, idque genus se dedit, tanta inde eruditione locuples, ut, cum modestissimus esset, dixerit tamen datâ vocatione, paratum se esse ad quotidianè dicendum integro mense de Beatissima Mariæ Virginis laudibus, atque ejusdem Rosarij præconijs (erat sane eju) mysterijs

egregiâ pietate additissimus) nullo ad id officij Libro inextin-
cyoluto. Humanissimus erat & ur-
banissimus, facili ut negotio mo-
ribus suis ac litteris omnium sibi
animos devinciret. Scripsit idio-
mate hispano Librum cui titu-
lum dedit

*Gigas Chananicus, seu Acta & Martyrium unâque Miracula S. Chri-
stophori, Urbis Habanensis Patroni,
Stylo Historico-Panegyrico expensa.*

Traditum fuisse Opus Mss. Au-
thoris cognatis edere illud cu-
pientibus, monet nos M. F.
Joseph Gonzalez Afonseca, ejus-
dem Ord. in data de Scriptori-
bus Habanensibus narratione:
nec tamen illud adhuc esse pu-
blici juris factum. Scripsit præ-
terea eâdem linguâ

*Historiam miraculosa Imaginis
Venerabilis Deiparentis à Charita-
tate dicta, quæ in Sanctuario del
Cobre prope Cubensem Civitatem
egregiâ colitur religione. In hoc
Libro Author ejus originem
Imaginis detegit, quondam su-
per aquas Nipensis stationis inam-
bulantis, quamque Iconem ope-
râ S. Evangelistæ Lucæ sculptam
arbitratur momentis pluribus. Af-
servari Mss in Archivo mox di-
cti Sanctuarij credit citatus M.
Afonseca.*

*Tractationes Philosophicas &
Theologicas.*

† 735 F. CHRISTOPHORUS DE
TORRES, Natione Mexicanus &
Patria, Ordinis S. Francisci stri-
ctioris Observantiæ in Provincia

S. Didaci Mexicea professor, acu-
ti vir ingenij & multæ doctrinæ,
Philosophiam Sodalibus è Cathe-
dra tradidit: & Theologiam, Def-
initoris munere & alijs insignis,
edidit vernaculo sermone

*Compendium Doctrinae Christianæ,
& Præceptorum Regule S. P. S. Fran-
cisci pro tyronum institutione. Me-
xici, typis Josephi Bernardi de
Hogal 1726 in 4. scripsit verò
Philosophiæ Cursum ad mentem
Scoti.*

*Theologicos Tractatus.
Conciones varias à Symmisticis
suis requirendas.*

† 736 D. CHRISTOPHORUS
VADILLO, cujus incerta nobis Pa-
tria est & Natio, antiquiores in-
ter Mexicæ Universitatis alum-
nos censetur, qui Jurispruden-
tiæ apud eisdem Aulas operam
dederint. Baccalaureatus insig-
nis laurcâ, à Secretis habitus fuit
Academici Magistratus, moxque
Decreti Cathedrâ vacante, unus
è candidatis ipse pro illâ regen-
dâ scholastico factò periculo, cæ-
teris fuit prælatu die 20 Augu-
sti anno 1565. Tum Licentiæ &
Doctoratus gradum in Jure Ca-
nonico tulit, proque instituendis
auditoribus suis auspiciatus est

*Opuscula in Gratiani Decretum.
Ejus extat memoria in Chro-
nicis Academicis Plazæ lib. 1. cap.
7. n. 34 & 35.*

† 737 D. CHRISTOPHORUS DE
LA VEGA, Natione Mexicanus Pa-
tria, Angelopolitanus post datâ bo-
nis litteris operâ & imbibitâ Phi-
lolo-

losofiam, Apollinæ Facultati
se dedit, cujus demum lauream
retulit Doctoralem. Multi sanè ha-
bitus, cum pro Medicinæ praxi,
tum etiam pro theoria, Vesper-
tinus Academicus Professor plures
annos ad obitum usque instruen-
dis Discipulis vigilavit. Interea
pro Valerudinario à Purissimâ
Conceptione nuncupato, quod
Ferdinandi Cortezij jussu & sum-
tibus conditum est, institutus, so-
licitè juxta & pie ægrotantibus
pauperibus adfuit, Archiatrum
etiam egit, quod munus Proce-
ribus in re Medica tribus injun-
gitur. Scripsit

*Tractatus exponendi ergo solen-
niores Aphorismos ad audientium
commodum Scholasticorum apratos, ut
Annua Læctiones Academicæ
nos docent.*

† 738 D. CHRISTOPHORUS DE
VILLAREAL, Natione Mexicanus,
Patria Floridenfis, Mexicum de-
ductus, humanioribus litteris eru-
ditus & artibus liberalibus, illu-
stri S. Raymundi Nonnati Col-
legio Commendatorum Ord. Bea-
tissimæ V. Mariæ de Mercede ad-
scriptus fuit, quod à Clarissimo
Fundatore pro Habanensibus, in
quorum Diocesi Florida est, &
pro Michoacanensibus conditum
fuit. Sedulam utrique Juri na-
vavit operam tanto successu, ut
Patronus causarum evaserit ne-
mini secundus, maximi subinde
habitus non à clientibus modò,
sed à Doctissimis Senatoribus,
& quibuscumque viris eruditiss-

simis. Doctorali Civili Juris a-
pi-
ceredimitus in Academia nostra,
quæ molestissimam cum Majori
Collegio Divæ Mariæ & Omnium
Sanctorum litem trahebat, à ple-
no Antecessorum & Doctorum
confessu Procurator in Hispaniam
destinatus, faulste apud Regiam
Curiam negotium egit, Univer-
sitatisque juri consuluit, Schedulâ
à Catholico Rege nostro Philip-
po V demum optentâ pro Aca-
demiceis privilegijs & usibus ad
unguem adstruendis. Pro Mexi-
co Arcopago institutus Auditor,
redux ad nostros, suas in judican-
do partes tam agebat egregiè,
quam feliciter olim quæ Advoca-
tari fuerant & accuratissime ab-
solverat. Bibliothecam sibi appa-
ravit multis & selectis Volumini-
bus omnigenâ amœnis & per-
pulehris eruditione, qua ipse quo-
que prædives erat, Librisque con-
junctis pluvium litteratorum Vi-
rorum Imagines superposuit,
dignus qui simili à doctis homi-
nibus habeatur honore. Edidit
materno sermone

*Defensionem cujusdam de homicidio
accusati. Mexici, tacitis anno &
Typographo in fol. habetur tom.
2. Collect. Mendozianæ, & tom.
4. nostræ.*

*Allegationem coram Metropolita-
no Judice expositam cognocente in gra-
du Appellationis de negotio Sodales
Mercedenses tangente. Mexici, ta-
citis anno & Officina, in folio.
Habetur à Mendoza inter scripta
non compaginata.*

Allegationem pro D. D. Joanne de Brizuela, in lite super Primaria Medicinae Cathedra provisionem exortâ, Mexici, tacitis anno & Calchographia, In folio, Extat tom. 20. Mendoziana, collect.

Responsonem pro Militibus in Americanâ Clase de Barlovento merentibus, datam Opusculo edito eorum Praefecti nomine D. Guillermi Morffy, Mexici, tacitis anno & Typographi nomine in folio, Extat tom. 20. Collect. Mendoziana.

Propugnationem juris D. Christophori Bernardi de la Plaza, à Secretis Academiae Mexicanae, ad primogenia bona, vulgo dicta Vinculum, Mexici, tacitis item anno & Officina, habetur in folio tom. 15. ejuldem Collect.

Propugnaculum jurisdictionis Regio nomine instituti Mexicci Tribunalis pro decedentium ab intestato bonis curandis, Extat in fol. editum in dicto tom.

Pro Regia Societate de Guinea nuncupata, Mexici, 1708 in folio, Habetur in eodem tom.

Allegationem pro D. Salvatoris de Perera jure in causâ contractus, Mexici, in folio habetur ibidem tom.

Defensionem alteram rei alterius de capitali causa accusari, Mexici, in folio, Extat tom. 25 Mendoziano.

Consultationi sibi factâ ab Illmo. Angelopolitano Episcopo D. D. D. Emmanuele Fernandez de S. Cruz in puncto clausurae responsum, Extat

Miss tom. 47 Collect. Mendoziana.

739 M. F. CHRISTOPHORUS DE ZEA, Natione Mexicanus & Patria, Ord. S. Francisci in Conventu Mexicco emissâ professione se addixit. Doctoratus in Sacrà Theologiâ conspicuus, infulis & Antecessoris munere, quod obierat, egregiâ laude, in Academia nostrâ, eandem ut in Conobio suo spartam ornaret, justus, non modò Sodalibus Theosophiam tradidit, sed antiquis multis Academicis discipulis, qui ipsum audiendi gratiâ eo conveniebant. Tanto erat in Sacrà Facultate nomine, tantique ab Scholaribus habitus. Definitorem egit Provinciae & Conventus de Xochimilco, inter primos insignis, Guardianum. Virtutibus claruit, quas jugi carnis maceratione, facris meditationibus, & exactissimâ in Choro frequentando pietate fovebat. Abijt ad plures die quinta Martij anno 1614 marcente Familia, quâ litteris conspicuum & moribus virum egregio amore prosequabatur. Ejus meminit Betancurtius in Menologio pag. 27 die 5 Martij, qui tamen scripta pratermissit.

Theologica Opuscula, aliunde haurienda, nec dum à nobis hausta ex Academico Tabulario, in quod id temporis Professorum Codices inferri cautum non fuerat.

740 D. CLEMENS BUGUIRO, Natione Mexicanus, & ni fa

fallimur, Patria, Causidicos inter adscriptus Conventus juridici, edidit hispano sermone

Allegationem juris gratiâ tuendi Peiri Maldonati Sculptorum coagmentatoris, Mexici, anno & Typographiâ, antiquo more, tacitis in folio, Extat tom. 15. Collect. Mendoziana.

741 F. CLEMENS DE LEDESMA, Natione Mexicanus & Patria, Ordinem Seraphici Parentis Francisci in Provincia S. Evangelij Regularis Observantiae scđatus est, cui exemplo vitae, doctrinae, & officij decus adjecit, Philosophiae Professor Sodalibus ipsam triennio è suggestu aperuit. Theologiae pariter tradendae aptissimus licet, ut qui eam altè imbiberat, methodoque & ingenio ad docendum pollebat, Aulis dimissis, curas suas omnes in pulpitu sacrum & animarum institutionem christianam intendit & plam, concionibus juxta habendis, & excipiendis fidelium confessionibus deditur. Praefectus Tertij Ordinis sui alumnis, non horrationibus modò publicis & privatis consuluit, sed editis etiam scriptis, quibus eorum instituta & quae ad ipsos eumque attinent, explicatè eruditèque tradidit. Praedicatoris Emeriti gradu insignis, à generali Nova Hispaniae Commissario Vifitator in Michoacatanensium Provinciam ejusdem Ord. dimissus est, cujus subinde Patet evasite. Suae mox S. Evangelij Provincialis canonice

fallimur, Patria, Causidicos inter adscriptus Conventus juridici, edidit hispano sermone

24 Aprilis 1694 electus, multis inclaruit nam & religiosam observantia accuravit vivosque lapides, & adibus inflaurandis in Primario Conventu operam dedit: excitavit à fundamentis eas in quas se tyrones recipiunt, & aultere vitae rudimenta ponunt: cellas item alias crexit & Officinas Religiosorum usibus aptas. Nec vero virtus ejus domesticos intralares continuit se, imò plures juvandi zelo, in primisque augende Dei gloriae, peritiles & leide à se elucubratos Libros publicè juris fecit. Sunc ij quidem hispano sermone

Vita spiritualis communis Seraphici Tertij Ordinis S. Francisci, Mexici, apud D. Mariam de Venavides 1689. in quarto

Compendium excellentiarum Tertij Seraphici Ordinis: cui accessere Constitutiones peculiare V. Tertij Ordinis Civitatis Angelopolitanae Matrici, typis Antonij Gonzalez 1705. in octavo. Editionem hanc esse atque à se visam scribit R. F. Joannes à S. Antonio in Bibliotheca Franciscana tom. 1 pag. 272.

Notitiarum excitator Moralium tomus 1. Mexici, litteris D. Mariae de Benavides 1695 in quarto.

Notitiarum excitator Moralium tom. 2. Mexici, eisdem typis & anno. in quarto.

Excitatoris Compendium notitiarum ad S. Sacramenta spectantium. Mexici, ex eadem Officina 1693. in octavo.

Compendium excellentiarum Tertij Seraphici Ordinis: cui accessere Constitutiones peculiare V. Tertij Ordinis Civitatis Angelopolitanae Matrici, typis Antonij Gonzalez 1705. in octavo. Editionem hanc esse atque à se visam scribit R. F. Joannes à S. Antonio in Bibliotheca Franciscana tom. 1 pag. 272.

Notitiarum excitator Moralium tomus 1. Mexici, litteris D. Mariae de Benavides 1695 in quarto.

Notitiarum excitator Moralium tom. 2. Mexici, eisdem typis & anno. in quarto.

Excitatoris Compendium notitiarum ad S. Sacramenta spectantium. Mexici, ex eadem Officina 1693. in octavo.

Compendium excitatoris alterum Mexici, eisdem formis & anno in octavo.

Excitator Republicæ studiosi, alphabetico ordine in summam redigens primum & secundum Compendium excitatoris notitiarum Theologicarum Moralium cum additionibus varijs necessarijs pro multorum statuum obligationibus aperiendis. Mexici ex eadem Calchographia 1700. in quarto.

In his porò de Theologia mores diligenter Voluminibus, ne cui offendiculo sint tyroni proscriptæ à Summis Pontificibus Alexandro VII & VIII, item ab Innocentio XI theses, ab Authore rejiciuntur atque notantur.

Memorata Bibliotheca Franciscana, quam dicto tom. 1. cætera latuerunt scripta nostri præter Compendium primum; addidit tom. 3 inter Appendices, conciones

De JESU Nazareno.

De Angelopolitani Templi dedicatione.

De cujusdam monialis Professione. Mexici excusas anno 1684. quæ nos hæcenus fugiunt.

Meminit Nostri Betancurtius in de Illustribus Provinciæ suæ vitis pag. 147. n. 37 & pag. 152. n. 60.

742 F. CLEMENS A NEAPOLI, non aliunde nobis notus quam à mox dicta Bibliot. Franciscana tom. 1. pag. 272. nisi ejusdem Author deceptus est, Provinciæ S. Evangelij alumnis ac-

censetur, diciturque hispano sermone scripsisse

Centuriam Epithaphiorum Italice concinnatam à Joanne Francisco Lore-dano, prout narrat Abbas Ghilinus in suo Theatro Italico Litterarum edito Mediolani pag. 203.

743 P. DR. CLEMENS SUMP-SIN, Natione Mexicanus, Patria Goatemalanus, prænobili egressus è Domo, in qua optimè fuerat à genitoribus institutus, & latinis litteris efformatus, Soc. JESU in Provincia Novæ Hispaniæ se addixit. Philosophiam in Collegio Maximo Mexicano publicè docuit, Theologiam verò primùm Antequeræ Goaxacenticum, dein verò Angelopoli & Mexici professus est annis multis, Primariæ Cathedræ tandem præpositus, & postmodum Studijs majoribus. Hinc eximio Doctorum Mexicanensium plausu Dr. & ipse in Sacra Facultate augmentatus, pro regendâ in Universitate, Cathedra Doctoris Eximij Perpetuus & primus Antecessor fuit institutus, ad obitumque usque strenuam Professoris muneri operam navavit. Erat quidem in re scholasticâ politissimus, & ad palæstram natus, atque exercitatione jugi promptissimus, juxta & doctissimus. Adhæc, similem in omni Theologia nactus eruditionem, atque in utroque Jure minimè vulgarem peritiam, gravissimis alijs incumbere negotijs, & à Consistorio Fidei Mexicco Censorijs titulo pluries ex-

mu-

munere requisitus, & ab Archiepiscopo & Episcopis consultus, gaudentibusque ut sacris initiandos, exponendosque audiendis confessionibus, ac Ecclesiastico designandos suggestui experiretur atque probaret. Comitatus insignis & humanitate, vitæ quoque probitate conspicuus, amoris erat & religiosi omnium Ordinum viris, & Nobilibus etiam ac vulgaribus, in egenos ipse & miserabiles egrègiâ charitate propensus, quos, ut ut poterat, elemosynis sublevabat. Animarum boni sollicitus, pro ipsis expiendis confessione libens in Ecclesia aderat, proque erudiendis & domi & foris concionabatur. Instituta Familiæ suæ deperibat, & sanctè servabat, Restorque datus Collegio Maximo, egrègiâ semper observantiâ florenti, exemplo alijs præibat. Multa erat adversus Deiparentem Virginem religione, ejus morti proximus prælidium fidentissimè postulans, & cruciatus memoriâ refrigerans, pientissimum Hymnum *Sabat Mater dolorosa* decantari sibi voluit, sacramentisque munitus, præcedenti pervigilium Purissimæ Conceptionis die animam Deo reddidit anno 1735. Funerij eius Academicus Senatus, Cæterusque Religiosi, atque Equites multi interfuere. Scripsit

Philosophia Cursus, Summulus, Logica, Physicâ, Metaphysicâ, & cæteris Libris constantem Aristotelici more Systematis. Insuper Tractatus Theologicos

De Deo ut uno.

De Perfectionibus divinis.

De Visione Dei.

De Voluntate Dei.

De Angelis.

De Actibus humanis.

De Bonitate & malitia.

De Merito just.

De Beatâ Virgine.

De Pactis & Contractibus in univèrsam.

Quorum aliquos *Lectio-num Academicarum* index nobis exhibuit, alios sæpius vidimus Mss, præter quos concinnasse alios non dubitamus hæcenus nos fugientes. Scripsit præterea

Prolesiones Latinas.

Conciones Hispanas.

Consultationes varias,

Quæ forsan à Sodalibus custodiuntur.

744 CLERICI CONGREGATIONIS MEXICANÆ B. M. ANUNCIATÆ IN COLLEGIO MAXIMO SS. AA. PETRI ET PAULI SOC. JESU conditæ, juris publici fecerunt hispano sermone conscriptum ab ipsis Opusculum, cui dèdere titulum:

Dubia ad sanctas Missæ Cere-monias spectantia per Clericos resoluta Congregationis Domine nostræ erectæ Apostolica auctoritate in Collegio Soc. JESU Mexicco, Mexici, apud Henricum Martinez anno 1602. in quarto.

Porò Congregationi huic paulo post annum 1578 institutæ in Schola Soc. JESU Mexicæ, ut Author est P. Florencia in Hist.

Pro-

Provinciæ Novæ Hispaniæ Lib. 6. cap. 7. pag. 353. n. 381. quæ que prima tenet inter ejusdem instituti ceteras Americæ nostræ; Indulgentias communicavit, Pontificia qua donatus erat facultate, R. admodum P. Claudius Aquaviva Præpositus Generalis Soc. JESU anno 1587. quas Gregorius XIII & Sixtus V jam pridem concesserant ejusdem nominis Sodalitio Romani Collegij. Quodd autem frequentissima Mexici Schola etiam ea tempestate fuerit, opportunè ab ejusdem Rectoribus bimembris Congregatio facta est, cui tertium quoque capit accessit. Nam Grammaticæ & Rhetoricæ cultoribus Præfectus fuit datus in Gymnasium maximum convenièntibus pictatis exercendæ qualibet die Dominica; Philosophos autem & Theologos Præfectus alius in Ecclesiâ similibus format institutionibus. At qui ex ijs Sacerdotio initiari evasere & Doctoralibus infulis insigniti, aut alijs Ecclesiasticis muneribus clari, seu tertium Congregationis gremium fecerunt, altera per hebdomadam die convenientes Sactorum Rituum & Ceremoniarum collationes habendi gratiâ, quibus ad aram faciendibus opus est studere, & quæ propria sunt Sacerdotij officia secum communicandi. Id circo præter ceteris communes Sodalibus Regulas, peculiare ad Præbiteros duntaxat spectantes coluere, & utraq; ad calcem memorati

Libri ediderunt à pag. 208 ad postremam usque. Accuratissima usuri Criticâ in Liturgiis, quibus operam dabant, sex septemvè Missalium Editiones præ manibus habere, ex eis quæ à S. Pij V reformatione ad annum usque 1600 adornatæ prodierant, quibus inter se collatis, propius ad Pontificis S. mentem accedentibus Rubricis adhæserè & Decretis Varias itidem *Pontificalis Romani & Ceremonialis Episcoporum* impressiones diligenter conquistatas pro instituto suo consulere, evolutis interea Scriptoribus qui tunc usque ea de re egerant, ut Epistolâ ad Clerum Mexicicum data in editi Voluminis antecessu præmonent. Eximios in eo Congregationis ordine doctrinâ & pietate vitos floruisse testis est præcitatus P. Florentia, Liberque editus satis indicat nuncupatus Sodalitij Protectori D. D. Joanni de Cervantes, Mexico Archidiacono & Archiepiscopus Gubernatori, Sactorum Bibliorum Academico Interpreti, & postmodum Episcopo Goaxacensi, qui in Epistola eidem præfixa Libro ad sodales Clericos scripta, & se unum ex illis esse testatur, & alterum D. D. Alphonsum Muñoz, Primarium Sacræ Theologiæ Professorem, dein Metropolitanæ Ecclesiæ Decanum, & pro Chiapensi electum Antistitem, cui Opusculi examen pro editione commiserat. Præter typis excusum Librum jam dictum, Autores ijdem elucubravit

Aliquot alios ejusdem argumenti admodum expolitos & doctos.

Quos inveniri apud Collegiū Maximum P. ipse Florentia affirmat pag. 357. n. 387. subjungens, institutus deinceps alijs Clericorum Cōgregationibus, Anunciata V. Sodalitium penes Scholares totum mansisse, à quibus hodie que frequentatum viget ac floret.

745 CONCILIUM CARAQUENSE I habitum est in Urbe Caracas, Provinciæ Venetiolæ capite, anno 1609 ab ejusdem Episcopo Illmō. D. D. F. Antonio de Alecca, Franciscano, teste Ægydio Gonzalez Davila in Theatro Ecclesiæ Venetiolæ pag. 301. Opinamur Synodum hanc custodiri in Archivio ejusdem Ecclesiæ.

746 CONCILIUM CARAQUENSE II an numeremus, sumus ambigui, quamvis de Constitutionibus Synodalibus Caraquensibus fidem nobis faciat Pinelus in Epitome Bibliot. Occid. Editionis novissimæ col. 789 testatus editas fuisse in folio anno 1698. Porro id circo in ancipiti hæremus, quoniam extra Synodū quoq; istiusmodi Constitutiones ab Episcopo emanare possunt, quod mox scribemus indicantes Diæcesim Chiapensem, & aliunde rei historiam venari nequamus. Constitutionum Caraquensium à memorato Præsule conditarum meminit D. Joannes Chrysostramus Rodriguez Garafedo, loco inferius dando in *Illmō. D. D. Didacus de Baños & Sotomaior.*

747 CONCILIUM CHIAPENSE seu Diæcesanam Synodum hinc forte aliquis quæret, qui legitur Constitutiones Diæcesanas Episcopatus Chiapensis conditas ab Illmō. D. D. F. Francisco Nuñez de la Vega, Dominicano, ejusdem ditionis Antistite, editas que Romæ anno 1702. tom. in folio. Quod tamen eas citra Synodum Præsul his doctissimus juxta & vigilantissimus dederit, propterea nullum Chiapæ Concilium memorandum occurrit.

748 CONCILIUM COMAIGUENSE I, itemque II indixit & habuit in ea Urbe Hondurensis Diæcesis primaria, ejusdem Episcopus Illmō. D. D. F. Ludovicus de Cañizares, Ord. S. Francisci de Paula, anno 1631. mensibus Januarij & Martij, teste Ægydio Gonzalez Davila in Theatro ejusdem Ecclesiæ pag. 308 scribente penes se habere utriusque Synodi exemplaria, que itidem fuisse Mss in fol. in Bibliot. D. D. Andrea de Barcia Regij Consiliarij scripsit Pinelus in Epit. Bibliot. Occid. col. 771.

749 CONCILIUM GOATEMALSENSE habitum fuit ab Illmō. D. D. Bernardino Villalpando, qui ei Ecclesiæ præfectus fuit anno 1564 in ipsam è Cubensi translatus. Quo autem anno initus Conventus is fuerit nos lateat, ne verbum quidem de tempore habentibus, qui memorant Synodum, Scriptoribus Ægydio Gonzalez Davila in Theat. ejusdem

Ecclesiæ pag. 153, & F. Raymundo Leal in Goatemalensis Ecclesiæ Monumentis pag. 43 ubi isthæc de Villalpando scribit: *Synodum celebravit, cujus nulla extat memoria: Authographum illorum temporum injuriâ deperisse credendum est.*

750 CONCILIUM HISPANIOLENSE Provinciale coactum est in Insula à S. Dominico dicta, Americæ nostræ Primate, ab ejusdem Archiepiscopo Illmo. D. D. F. Petro de Oviedo Ordinis S. Bernardi, incerto nobis anno, quem reticuit Ægydius Gonzalez Davila in Theatro ejusdem Ecclesiæ pag. 268 ubi Concilii hujus memoriam habet, pariterq̄ in Theatro Ecclesiæ Portudivitensis pag. 292 ubi Illmum. D. D. Bernardum de Balbuena suffraganeum Hispaniolæ ei interfuisse dicit, & in Theatro Ecclesiæ Quitensis, itemque de la Plata Americæ Meridionalis, in quas translatus fuit Illmum. Oviedo. Id exploratum est Ægydio, Oviedum 19 Septembris anno 1625 præsentatum pro Ecclesiâ Hispaniolæ fuisse, pro Quitensi autem anno 1632. Hinc mendû irreplisic typographicum patet apud Joannem Diez de la Calle pag. 19 Concilium hoc anno 1622 statuentem, tribus scilicet annis priusquam institutus fuisset ejusdem Præses. Tempus ergo & cætera Concilij hujus in obscuro nobis færemur, atque ipsum Mss in tabulario Ecclesiæ ejusdem aservari facile credimus.

751 CONCILIUM JUCATA-

NENSE seu DICECESANAM SYNODUM, EMERITÆ, quæ primaria est Jucatanæ Civitas, indixit anno 1721, habuitque anno 1722. Illmûs D. D. Joannes Gomezius de Parada, vir doctrina juxta & zelo præclarus, de quo multa in eum reservamus locum quo de ipso scripturi sumus. Nunc, quod ad Synodum attinet, datis circum Dicecesim suam, quæ Provincias Jucatanæ, Cozumeli, & Tabasci complectitur, litteris 5 Maji 1721 Decanum & Capitulum Ecclesiæ suæ, Parochos & Seculares & Regulares, Capellanos & Clericos, unâque Gubernatorem & Ducem Generalem Provinciæ atque ejusdem Urbium & Villarum Rectores, cæterosque de jure vocandos piè in simul & doctè præmonuit, die sexta Augusti anni venturi proximi 1722 incundam in Cathedrali sua Synodum esse, pro qua cogenda, & Catholici Regis nostri Philippi V Schedulâ monitus fuerat, & propriâ excitatus conscientia ut generalis Concilij Tridentini præscriptis, Provincialisque Mexicani III constitutionibus obtemperaret. Itaque, prudentissimè rebus agitandis in antecessum habitis, præfinita à se die Comitia capta fuere, dissolutaque 1 Octobris ejusdem anni. Porro, ut ad præcitati Mexicani Concilij normam Synodum adapteret, ipsam Libris, Titulis, & Decretis illius præ oculis habitis, similiter distinxit, unicuiq̄ eorum Constitutiones

ca-

callentissimè adjiciens Dicecesi accomodatissimas, &, quod caput est, sic in usum dispositas, ut præterierit nihil pro Ecclesiasticâ disciplinâ, morum reformatione, & institutione christianâ, cum experientia duce, quam ab Provinciarum visitatione comparaverat, tum etiam omnigenâ eruditione, in primis autem Theologiæ & Juris, Conciliorum, Historiæ Ecclesiasticæ & Disciplinæ, ut propterea Synodus quam scripsit doctissima sit & antiquis Ecclesiæ Patribus digna, quod viri gravissimi de ea judicium tulerent. Extat hispano sermone præ manibus nostris hoc titulo:

Constitutiones Synodales secundum ordinem Librorum, Titulorum, & sanctorum Mexicani Concilij III Decretorum pro Episcopatu Jucatanensi disposita ab ejusdem Antistite Illmo. D. D. D. Joanne Gomezio de Parada, Consiliario Regio, in Synodo inita in Ecclesia sua Cathedrali 6 Augusti anno 1722, absoluta autem 1 Octobris ejusdem anni. In folio.

De ea in Goatemalensis Ecclesiæ monumentis (ad quam è Jucatanensi trallatus fuerat Illmûs Parada) editis à F. Raymundo Leal Ord. Præd. anno 1744 pag. 55 post alia habemus, non dum post annos plus viginti typis evulgatam, cum adhuc inter Regiorum Ministrorum manus, nunquid in ea Regijs juribus obstet explorantium, detineatur.

752 CONCILIUM MEXICANUM I (ut cum Poligraphiæ sa-

cræ Authore P. Petto Francisco à Conceptione, verb. Congregatio, pag. 173 paulo liberius nomine utamur, quod strictè & præfè sumptum quid sibi velit late nos minimè, legentes, post alios DD. qui præest omnibus SS. D. N. Benedictum XIV libro 1 de Synodo Dicecesana cap. 1. eruditissimè, de more, ad propositum scribentem) habitum est anno 1524 in Ædibus Franciscanorum Temploque Parochiali SS. JOSEPHI nomine insigni, quod hodie que primaria est Indorum Paræcia: Apostolico Vicario Clarissimo Viro P. F. Martino de Valentia ejusdem Ordinis, præfidente, hortanteque etiam & juvante Inclyto Belliduce D. D. Ferdinando Cortezio, concurrentibusque Clericis quinque, Religiosis 19, & prophani Ordinis juris peritis quinque, omnibus 30 numero, ut scripsit Franciscus Lopez Gomara Clericus, tom. 2 Historiæ Generalis Indiarum, qui tomus in Mexicam Expugnationem inquirat, fol. 241 editionis Antuerpiensis anno 1554. Porro, non PP. Torquemada & Betancurtius soli, sed verò etiam & mox citatus Lopez Gomara & Scriptor de Historia Ecclesiastica benemeritus ac notissimus Laurentius Surlus Carthusianus, in Commentario brevi rerum in Orbe geliarum ab anno salutis 1500 usque ad annum 1568, Colonia edito, anno eodem, Congrega-

R2

tio.

tionem istam Synodum seu Concilium appellat: placet lineas aliquot Surij transcribere: *Eodem anno* (scilicet 1524, de quo proxime dixerat) *Mexicana habita est Synodus solennis, cui tamquam Pape Vicarius praesedit Martinus Valentinus, &c.*

753. Vix enim Mexicum Martinus apulerat, unaque cum ceteri ejusdem Ordinis Apostolici Sodales numero 12, pro Christiana Fide in vastissimis hisce Regnis & Imperio disseminanda, cum & ipse & socij Indorum dediti institutioni, haec ut auspicio succederet, alte jacienda fundamenta, collatis inter se & cum alijs viris doctis, consilijs, & exploratis, quantum fieri poterat, rebus, decrevere. Duce igitur & Praeside P. Martino, cui luas in expeditionem gravissimam vices concefferat Romanus Pontifex Catholicae Ecclesiae Caput & Rector, in nuper erectum Sacellum convenientes, juxtaque evocati reliqui quos in principio diximus viri, plura Sacramentorum administrationem concernentia, & quae condebatur in Orbe Novo, Ecclesiae sanctitatem & propagationem decentia constituerunt, amplissimam in horrea Domini messem, ipso incrementa dante, laturi.

754. Et principio quidem ad Baptismi administrationem constituta sunt ea, quae maxime expedire sunt visa pro incredibili illum postulantium multitudine

Indorum catervatis in Ecclesiam confluentium: gemini in quavis hebdomada destinati sunt dies, Dominicus nimirum & quintus, pro expiandis sacro fonte ijs qui christianis essent rudimentis instructi aetate adultis, parvulisque, ni periculum mora pertraheret: Ritus in antiquo Manuali Romano praescriptos, quod postea anno 1540 recessus est Illmsi, D. D. F. Joannis de Zumarraga Episcopi & Archiepiscopi Mexicanae jussione, cautum est observari in regenerandis, supersedendum tamen in unctioe, deficientibus eo tempore sacris oleis deinceps opportunè adhibendis, & omissis interea nonnullis Ceremonijs, quae negotium illud urgentissimum morarentur non citra multorum salutis discrimen forsitan sine baptismo moriturorum; & quaquam huic, procedente tempore, sanctioni refragati sint aliqui, scrupulum de collato in hunc morem baptismo moventes, obstitit eis tamen Paulus III Pontifex Maximus, anno 1537 die 15 Maji edita Constitutione declarans legitimum verumque fuisse ministratum eo modo baptismi, & in posterum observanda praescribens.

755. Ad Confirmationis Sacramentum quod attinet, nihil definitum, praestolantibus forte Patribus, Episcopum brevi futurum, illud qui ministraret: totasque curas suas ad Poenitentiam, quae secunda est post naufragium tabu-

tabula, convertentes, pro ejus praxi Sacramenti opportuna fecere Decreta, cum pro egrotantibus & morti proximis, tum etiam pro alijs. In Sacrosanctae Eucharistiae dispensatione cunctatius processere & meticolosius, non dum exhibendam Neophitis Communionem existimantes, quibus tamen, ea pasci cupiditibus, postmodum porrigi visa est gravissimis Theologis egregio successu, tantaque Neochristianorum in Corpore Christi sumendo religione, ut ne christianissimis & veteri pietate adultioribus in Fide concesserint.

756. De extrema Unctione fovendis morituris, an statutum quidquam fuerit, non legimus, nec divinare licet, scientes, M. F. Petrum de Agureto, Mexicanum, Ord. S. Augustini, Episcopum Sebuentem, Tractatum editisse dum Mexici Philosophiam profitebatur anno 1573 probandi ergo Neophitis Indis Hispaniae Novae, & Eucharistiam praebere debere, & Extremam Unctionem administrari, contraque ambigentes crudite juxta ac pie rejecisse multis & impugnasse. Negotium longè majus Concilij Theologis & Juris peritis Sacramentum Matrimonij faciebat, de quo tandem quid pronunciatum fuerit, libet a citato Laurentio Surio mutuatis verbis hic aperire: *Baptizabantur illic multa hominum millia, & cum antea plures si-*

mul uxores habuissent, dubitaretur que, quam ex omnibus retinere deberent, eodem anno Mexicana habita est Synodus solennis, cui tanquam Pape Vicarius praesedit Martinus Valentinus, in qua tandem definitum est, quod qui Fidem Christianam cum omnibus Romanae Catholicae Ecclesiae ritibus complecterentur, ex omnibus uxoribus unam tantum, quam vellent, ducerent ritum christiano. Adhaec, alia pro detegendis conjugij impedimentis ordinata fuere, statutique in singulis Oppidis ea qui explorant, & praefixi dies per hebdomadam, in quibus juxta catholicos ritus Matrimonia celebrarentur.

757. Quod verò rei caput in christianam institutionem consisteret, eam ut & adulti haurirent & parvuli, sacrisque nostris adessent, atque omnem pietatem imbibere, mandatum fuit Vicorum Praefectis Indis, ut festis diebus excitatos summo mane (gentie more) vicinos, ordinatim, praecedente Cruce, in Ecclesiam, preces sacras recitantes, deducerent, qui Praebitero ad aras facientis adessent, & documentis rei christianae & pijs exercitijs insisterent. Praeterea ut diebus singulis pueri & puellae in aedes sacras deducerentur a grandiori aliquo, jussum est doctrinae christianae addiscendae gratia, & politicae etiam conversationis, designatis & Musicis Praeceptoribus, perpetuo in hac usque tempora more.

758 Hæc porro Concilij Mexicani I. capita fuere, propterea latius à nobis, quam pro instituto videatur, expensa, quod in unum ipsa Lector habeat collecta, deficiente Concilij Codice, cujus Acta conscripsit P. F. Hieronymus de Mendieta Ord. Seraphici vicenno post Concilium habitum, ad nos delatus, qui que pristina evolverat monumenta, de quibus altum Betancurtio & alijs silentium est, non alium fontem præter Mendietae Volumen indigentibus, quod ipsum Volumen nos etiam latet.

759 Quam verò fuerit Synodus hæc nostra prima christianarum fecunda virtutum, in Dei gloriam, & Catholicæ Romanæ Ecclesiæ ornamentum, atque Hispani decus nominis promanantium, si persequi oratione pro rei dignitate vellemus, & extra orbitam currere dicemur, & immensū negotium moliminis auderemus. Ne tamen omnino taciti prætereamus rem lectu jucundissimam nec à proposito dissidentem, non nulla summatis indicemus oportet, quæ laudatus Surius memoriam prodidit ab Caroli V Cæsaris Archivijs, authenticisque & gravissimis scriptis petita.

760 Ita habent. In solo Regno Mexicano jam pridem fuere (inquit scribens anno 1568) octoginta SS. Monasteria, & in dies plura sunt. Sunt ibi magni ubique Populi, multa & valide Urbes, pul-

cherrima ædificia & palatia ex latere & candido quoque marmore: Incredibilis frugum, auri, argenti, eris, & aliorum metallorum copia. Unica Urbs Mexicana centum viginti millia adium habet: vicina autem municipia, alia septem, alia quindecim, alia viginti, alia triginta, aliqua quadraginta, alia sexaginta, alia septuaginta domorum millia obtinent. Alijs verò interjectis multis, subdit: Et quidem anno Salutis 1524 venit in Civitatem Mexicanam F. Martinus Valentinus cum duodecim Monachis, tamquam Vicarius Pape à Carolo Cæsare illuc cum auctoritate ejusdem Pontificis missus: eodemque anno predicavit ille in Novi Orbis terra continente Evangelium Christi, & magnos illic progressus, magnaque incrementa Fides Christi accepit, & quidem ea ipsa Fides, quam Germani & plerique alij Europæi à Martino Luthero & alijs Sæctarijs malè persuasi, ut Papiſticam rejiciunt.

761 Et rursus. Idola omnia ex Templis exturbabantur, Crux Christi, & SS. Mariæ Virginis Imago in Templis reponabantur. Eucharistia populis ostendebatur. Missæ Sacrificium à Martino & Collegis duodecim pateſcebat: Evangelium Catholico more piè & purè annunciabatur. Indi verò paucis annis tot baptizabantur in ea Novi Orbis plaga, ut alij septies dena centena millia, alij quater decies dena centena hominum millia in solo illo Mexicano Regno baptizata retulerint. Magna etenim in eo Novi Orbis tractu est hominum

copia, adeo ut in Insula Fani Divi Dominici quindecies centena hominum millia fuisse reperiantur, & quandoque in Processione centum millia hominum se christiano more cæderint virgins.

762 Iterum post alia subjungit. Et certum est, omnes Indos, & novi Orbis Carolini incolas & accolos fieri quotidie magis ac magis christianos. In Archivijs Caroli Cæsaris lectum est, unum quemdam Sacerdotem septies centena hominum millia baptizasse (& hunc fuisse Joannem Gonzalez, Mexicanæ Ecclesiæ Canonicum, Academicæ Rectorem, sanctitate vitæ percelebrem, sunt qui non improbabili ter arbitrentur) alium ter centum millia, alium centum millia, alios plures, alios pauciores. In solo Mexico referunt multi summa fide dignissimi, triginta fuisse Dynastias, quorum quilibet habuerit sub se centum millia hominum aut circiter, & tria millia Toparcharum, qui & alios sub se habebant clientes fiduciaros, & beneficiarios, vasallos, valvasores, & valvacinos, qui Dynastia certa anni parte familiam suam alebant in Civitate Mexicana, Curia Regis Mottezuma, & ex ea non licebat illis discedere ad suas Provincias nisi Regis permissu, ac relictis sive filijs sive fratribus suis in Civitate obsidum loco; & quod dictu horrendum est, mille plerumque homines uno die in Civitate Mexicana immolabantur. Sed omnia idola exturbata sunt, demonibus silentium indictum, oracula & præſtigia contisceſcere jus-

se sunt, pluralitas uxorum in unius consortium est redacta: septem illis Sacramenta, & ceteri Romana Ecclesiæ ritus reverenter traditi sunt, nobis interim in Europa de horum contemptu, & novorum dogmatum complexu petulanter nobis applaudentibus, & tanquam mirifica reperta luce gratulantibus. Sed Deus præpotens, spiritus nobis contemptoribus, suam gratiam offert illis barbaris & ignotis gentibus, ut hæretici tabescant, omnes illas Romani Pontificis observantissimas, & veteris Religionis studiosissimas.

763 Hactenus ex Surio transcripta sunt satis, quibus, ceu ex rivulo fontem, initia quisque Mexicana Ecclesiæ & incrementa dignoscat, quantumque salutaris fuerit ea prima Synodus, quæ, accedentibus quotidie & Franciscanorum, & Dominicanorum, & Augustinianorum, & Clericorum viris egregijs, additisque postmodum Jelitais, Carmelitanis, & Mercedencibus, in plurimos latitces ad vitæ æternam innumerabiliū animarum salientes, redundavit, affluitque etiamnum.

764 Hujus Concilij Mexicani meminere, quos diximus, Surius & Lopez Gomara citatis locis: Torquemada in Monarchia Indica tom. 3. Lib. 5. cap. 16. pag. 37. & Lib. 19 cap. 1. pag. 303 Edit. Madritanæ 1723. Betancurtius in Theatro Mexicano 4. part. seu Chronico Provincie S. Evangelij c. 4. p. 22. n. 108. Edit. Mexicanæ 1698. Agydius Gonzalez Davila, in Theatro Ec-